

ADNOTATIO XXXVII.

Lib. I. Tit. VII, De Translatione episcopi, § II, n. 60; pag. 392.

DE TRANSLATIONE EPISCOPI ET FRUCTIBUS INEXACTIS.

« Ut maturius et consultius in posterum fieret translatio episcopi ab una ad alteram Ecclesiam, a Clemente VIII statutum prius fuit translationis causas examinandas esse a Congregatione rerum consistorialium; deinde vero, ex constitutione Benedicti XIV, *Ad apostolicæ servitutis*, 17 octob. 1740, a congregatione peculiari ab eodem deputata super promovendis ad archiepiscopatus et episcopatus, ut in ejusdem constitutione, § V.

« Quod si quæras an translatus possit aliquid percipere defructibus pendentibus et inexactis, idem Benedictus, *de Syn. dioc.*, edit. an. 1755, lib. XIII, cap. XVI, n. 7, firmat eum percipere tantum posse usque ad illud temporis momentum quo absolutus fuit in consistorio a vinculo prioris Ecclesiæ, quos si perceperit post illud tempus, ad restitutionem tenebitur. Nec conferre poterit beneficia, quæ forte vacare contigerit post dictum tempus. Hæc tamen utraque prohibitio non habet locum, quando episcopus transfertur sine sua scientia et consensu, quia solum obstringitur quando, post sibi nuntiatam vinculi enodationem, suum accommodaverit consensum, vel hunc Papa suppleverit volueritque ut translatio sortiatur effectum, ut probat idem Benedictus, loco cit., n. 13. Respectu episcoporum regni Poloniæ, in casu translationis, aliter provisum est ex decreto ejusdem Benedicti, ibid. relato n. 17. » (Giraldi, *Expositio juris*, etc., part. I, sect. 68.)

Notandum quod solutio questionis de fructibus pendentibus et inexactis, cum proportione debita aliis beneficiariis, præsertim parochis, translatis applicari debet.

ADNOTATIO XXXVIII.

Lib. I. Tit. VIII, De auctoritate ac usu Pallii, n. 21; pag. 395.

DE PALLIO.

« Non obstante Innocentii III contraria sanctione, hodie, ex indulgentia SS. Pontificum, appellantur nomine patriarchæ et archiepiscopi patriarcha Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus, ac archiepiscopi in partibus, licet pallii honore non fruantur, quippe quia extra provinciam suam commorantur, et cæteroquin pallii usus propriæ cuiusque provinciæ finibus circumscribitur.

« Nota I ex eadem indulgentia honorem pallii concedi etiam episcopis, licet archiepiscopali jure non potiuntur. Exempla concessionis referi Bened. XIV, lib. II, cap. vi, et alibi, *de Syn. diocæsana*.

« Eo etiam decoratur cardinalis pro tempore

decanus, episcopus Ostiensis, quo tamen uti dumtaxat potest in consecratione novi Pontificis, si hic antea episcopus inunctus non fuerit. Qua insigni prærogativa donatus jam fuit a S. Marco Papa, ut notat laudat. Bened. XIV, cit. tractatu, lib. XIII, cap. xv, n. 7.

« Nota II, cum erudito scriptore Petit, in *Adnotat.* ad Pœnitentiale Theodori, quod antiquioribus temporibus honor pallii non concedebatur nisi iis qui Romam venissent, illudque per se a summo Pontifice petissent; pluribus tamen abhinc sæculis, consuevit Apostolica hæc Sedes pallii honorem, etiam per procuratorem petentibus concedere, sublata quoque consuetudine, sequentibus temporibus introducta, legatum mittendi, quoties absenti petentique pallium elargiebatur. » (Giraldi, *Expositio juris*, part. I, sect. 69.)

ADNOTATIO XXXIX.

Lib. I. Tit. IX, De renuntiatione, § I, n. 5; pag. 396.

DE RENUNTIATIONE IN MANIBUS PRINCIPIS SECULARIS.

Anno 1828, minister regis negotiis ecclesiasticis in Gallia præpositus contendebat renuntiationem episcopi, sedem suam resignantis, in manibus regis primum esse deponendam et a rege accipiendam, atque summum Pontificem renuntiationem in suis manibus factam accipere non posse, quin prius constet de consensu regis. Hæc sunt autem verba præfati ministri :

« En France, deux pouvoirs concourent à placer un évêque à la tête d'un diocèse : le roi, qui le nomme; le Pape, qui l'institue. Deux pouvoirs doivent donc concourir pour rompre le lien qui l'attache à son Eglise : le roi, qui agré la démission; et le Pape, qui l'accepte. Aussi, est-ce parmi nous une règle constante et sans exception que les titulaires de bénéfices à la nomination du roi ne peuvent se démettre qu'entre les mains du roi lui-même, ou du moins de son consentement. Un arrêt du Conseil, du 13 mai 1670, l'a déclaré en termes exprès, et c'est le consentement unanime de tous nos canonistes... Une démission, qui serait donnée immédiatement, et directement au Souverain Pontife par un évêque, ne pourrait être acceptée, si Sa Sainteté n'avait été informée officiellement que cette démission a été préalablement acceptée ou consentie par le monarque. En un mot, il n'arrive à Rome aucune pièce officielle relative aux sièges épiscopaux du royaume, et d'après laquelle le Saint-Siège puisse prendre une décision, à moins que cette pièce ne porte la marque et l'attache du gouvernement; sans cela, tout ce que pourraient faire les évêques serait insuffisant, complètement nul et de nul effet... » (Prompsault, *Dictionn. de droit et de jurisprudence en matière civile ecclésiastique*, Migne, 1849; tom. II, col. 52 et 53.

Merito respondet D. Prompsault, loco citato : « Prétendre que le Saint Siège ne peut accepter une démission qui lui est immédiatement envoyée, et qu'il doit attendre que le roi lui notifie l'acceptation qu'il en a déjà faite, c'est confondre toutes les idées de droit ecclésiastique. Loin de soutenir une pareille doctrine, les canonistes enseignaient que les démissions faites entre les mains du Pape étaient admises, comme les résignations, du jour du premier *consens*, et que celle faite entre les mains du roi n'était valable que lorsqu'elle avait été admise par le Pape. C'était au moins plus raisonnable.

« J'estime, dit du Perray, que la démission doit être faite entre les mains des ordinaires (*Moy. can.*, tom. III, ch. iv, n. 9). C'est aussi l'avis de Deroye, Rebuffe et plusieurs autres canonistes, qui tiennent pour nulle et non avenue une démission faite entre les mains d'un patron, si elle n'a pas été acceptée par l'ordinaire. Le Parlement de Paris jugea en ce sens, par arrêt du 28 mars 1765. Un arrêt du Conseil, en date du 26 avril 1657, défend aux chapitres cathédraux de troubler, dans l'administration de leur diocèse, les évêques résignataires, avant que leur démission ait été admise par le Pape, et aux cours de Parlement de donner des arrêts contraires. »

Ratiocinabatur præfatus minister quasi jus nominandi ad sedes episcopales esset proprium et nativum principis, dum contra jus illud oritur tantummodo ex concessionem Papæ in concordatis scripta; prout ipsemet fatetur Fleury : « La nomination du roi, inquit ille, n'a d'autre fondement légitime que la concession du Pape, autorisée du consentement tacite de toute l'Eglise. » (Clausel de Montals, *Le Concordat justifié*, Paris, 1818, Égrou; 2^{me} édit., p. 65.)

ADNOTATIO XL.

Lib. I. Tit. IX, § I, n. 33; pag. 401.

DE RENUNTIATIONE A CLERICO RELIGIONEM INGRESSO FACTA.

« Sanctus Pius V, const. *Quanta*, prohibuit episcopis beneficia sic resignata conferre ante secutam professionem.

« Questionis est utrum hæc, quæ a Tridentino requiritur, licentia Episcopi vel vicarii generalis ad validitatem hujus, de qua disseritur, renuntiationis, pertineat ad extrinsecam solemnitatem, an sit forma ejusdem? Quidquid nonnulli DD. senserint, ea Rota insedit sententia quod forma sit, ut ex decisionibus in *Romana seu Januen. successionis*, 9 dec. 1746, § VIII, coram clar. mem. Millin, et 26 junii 1747, § VII et seq. coram bon. mem. Gertad.

« Utilitas autem hujus observationis est quod, si de hac licentia neutiquam constet, ea præsumi

nequeat ex observantia licet triginta annorum renuntiationis, ut respondit idem tribunal in dicta *Romana seu Januen. successionis*, 9 dec. 1746, § VII, et plur. seq., et 26 junii 1747, § VI, et plur. seq. ubi DD. contrarii refutantur. » (Giraldi, *Expositio jur. pontificii*, part. I, sect. 71.)

ADNOTATIO XLI.

Lib. I. Tit. IX, § VI, n. 155; pag. 419

DE CONSTITUTIONE GREGORII XIII CIRCA RESIGNATIONES.

« Gregorii constitutio confirmata fuit a Benedicto XIV, const. *Ecclesiastica*, 15 junii 1746, in qua insuper inhibetur notario Datarie ne recipiat consensus super quibuslibet resignationibus favore quovumcumque, etiam S. R. E. cardinalium, factis, quoties mandatum procuræ habeat datam anteriorem octo mensium quoad resignantes citra montes, vel duodecim quoad degentes ultra montes. Item præcipitur supplicationem super admissione cujuscunque resignationis signari intra duos menses a data rescripti; ita ut intra sex menses a data concessionis, quoad beneficia citra montes, et intra novem quoad residentia ultra montes, eorundem possessio cum effectu capiatur, et gratiæ resignationum cum litteris apostolicis publicentur ad formam constit. Gregorii XIII, *Humane*. Inhibetur concessio prorogationis, etiam pro prima vice, ad dictam publicationem faciendam, nisi prius docto de litteris expeditis in officio subdatarii, private quoad alios officiales : sicuti et ulteriora prorogationis post primam et secundam, nisi justificatum fuerit coram Datario impedimentum non factæ publicationis, a quo tot prorogationes concessi poterunt quot necessariae erunt, usque ad remotionem impedimenti : sub pœna, his omnibus non servatis, nullitatis resignationum, et inhabilitatis ad beneficia aliter resignata obtinenda.

« Si resignatio in favorem acceptata non fuerit resignatario, resignantem nec titulum, nec possessionem amittere; et quidem etiamsi supplicatio resignationis fuerit signata, imo data, communi Doctorum ac tribunalium calculo receptum semper fuit, novissime vero fuit dubitatum an a modo laud. const. Benedictina contrarium fuerit statutum. At negativam amplexum est sententiam auditorium Romanum, ut ex decisionibus in *Monasterien. canonicatus*, 17 febr. 1766, coram R. P. D. Cornelio, et 27 jun. 1766 et 12 januar. 1767, coram R. P. D. de Comitibus, et 26 jun. 1767, coram R. P. D. Azpuru. » (Giraldus, *Expos. juris*, part. I, sect. 72.)

ADNOTATIO XLII.

Lib. I. Tit. IX, § VI, n. 163; pag. 424.

DE RESIGNATIONIBUS IN FAVOREM ATTENTIS GALLIÆ CONCORDATIS.

DD. André, *Cours alphabétique de droit canon*, tertia edit., v^o *Résignation*, tom. VI, p. 68 sic lo-

quitur : « Quoi qu'il en soit de l'origine des résignations et des inconvénients qu'on y trouvait, elles n'existent plus aujourd'hui en France, ce qui nous dispense d'examiner avec les canonistes, quels sont les bénéficiers qui pouvaient résigner, quels bénéfices étaient sujets à la résignation, en faveur de qui les résignations pouvaient être faites, quels supérieurs pouvaient les admettre, leur forme, leur effet, etc. On peut voir dans les *Mémoires du clergé*, ou dans Durand de Maillane, toutes ces questions fort bien traitées, d'après les principes de l'ancienne discipline relative aux bénéfices. »

D. Prompsault, *Dictionnaire de droit et de jurisprudence en matière civile ecclésiastique*, Migne, 1849, v^o *Résignation* scribit : « Les lois nouvelles ne connaissent plus la résignation. »

Nullibi reperimus in legibus Galliarum prohibitionem quamcumque circa resignationes in favorem tertii. Illas admittebat, anno 1790, cœtus specialis rebus ecclesiasticis a conventu nationali præpositus, ut videre est apud præfat. Prompsault v^o *Résignation*. Insuper apud eundem v^o *Démision* leguntur ea quæ sequuntur : « Un curé du diocèse de Chambéry proposait de se démettre en faveur d'un de ses vicaires, moyennant une pension qui lui serait faite sur son traitement. Le gouvernement ne jugea pas à propos d'autoriser d'une manière expresse ces sortes de démissions en faveur, mais il permit à l'évêque de devenir le dépositaire et l'arbitre des conditions qui pourraient s'établir entre un curé qui ne pouvait plus remplir ses fonctions et le prêtre qui devait le remplacer. Décision et lettre du 30 fructidor an XIII (17 sept. 1805.) »

Quid igitur sentiendum? Quæstio expendi debet, attentis conventionibus inter Pium VII et gubernium Gallicum anno 1801 inita, et dispositionibus ea de re in litteris apostolicis insertis. Atqui conventio præfata nominationem ad sedes episcopales principi seculari tribuit, ergo non est liberum episcopo resignare sedem in favorem tertii. Quoad beneficia curata et non curata sic se exprimit Card. legatus Caprara in decreto *Inter cæteras*, die 10 aprilis 1802, pro erectione uniuscujusque Ecclesiæ metropolitanæ vel cathedralis lato : « Eidem futuro ac pro tempore existenti episcopo N. ut, præter collationem paræciarum eo modo qui in supra memorata conventionibus ac præsentis decreto statutus est, quæcumque alia cum cura et sine cura ecclesiastica beneficia quomodolibet nuncupata, juxta formas relate ad Gallias ante regiminis immutationem statutas, ac salvis reservationibus et limitationibus tunc temporis vigentibus, personis idoneis pleno jure conferendi et de illis providendi, de eadem speciali apostolica auctoritate, potestatem omnem concedimus et impertimur. »

Porro ante regiminis immutationem, quoad pleraque beneficia curata lex Tridentina concursus, licet

in quibusdam Galliæ provinciis de facto non servata, limitabat jus resignantium; unde concludendum quod hodie non possunt parochi resignare in favorem tertii. Remanent canonicatus Ecclesiarum cathedralium et beneficia simplicia, si quæ alicubi reperiantur; certum videtur illa detinentes beneficia posse de jure, ut olim, resignare in favorem alterius. Nec obstat quod ad canonicatum persona gubernio grata debeat promoveri; nam hanc conditionem adjectam, mediante episcopo, resignans, bene potest adimplere.

ADNOTATIO XLIII.

Lib. I. Tit. X. De supplenda negligentia prælatorum, § II, n. 37; pag. 430.

DE POTESTATE CAPITULI, EPISCOPO IN CAPTIVITATE DETENTO.

Sic docet Benedictus XIV : « In decretali *Si episcopus, de Suppl. neglig. prælatorum* in 6, cautum est ut, si episcopus paganorum aut schismaticorum captivus fiat, in capitulum transeat Ecclesiæ administratio, eo usque tamen retinenda quoad capitulum ipsum opportunam ea de re notitiam perferri curaverit ad Sedem apostolicam, cui reservatum est ea præscribere quæ deinceps agenda erunt; quemadmodum colligitur ex illis verbis : « Donec per Sedem apostolicam, cujus interest ecclesiarum providere necessitatibus, super hoc per ipsum capitulum, quam cito commode poterit, consulendam, aliud contigerit ordinari; » ut scite expendunt DD. in præcit. textum. At id minime locum habet ubi episcopus, quamvis ab hostibus captus fuerit, in ea tamen conditione versatur ut et a diocesanis litteras accipere, et suis ipse recurrentibus epistolis opportuna ad rectum diocesis regimen mandata indicere valeat; uti sapienter decrevit Congregatio concilii in causa *Hibernæ administrationis Ecclesiarum*, proposita et definita die 7 augusti 1683. Quod tunc propositum fuit dubium sequens est : « An casu, quo episcopus ab hæreticis captus detineatur, non ita tamen arte custoditus ut ipsi ejusque diocesanis facile non sit, saltem per litteras, inter se agere, ejusdem episcopi jurisdictionem intelligatur suspensa et ad capitulum Ecclesiæ cathedralis devoluta? Responsum autem fuit : Jurisdictionem non esse suspensam. » (*De Syn. diæces. lib. XIII, cap. XVI, n. 11.*)

ADNOTATIO XLIV.

Lib. I. Tit. XI. De temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum, § II, n. 51; pag. 444.

DE ORDINATIONE REGULARIUM.

Sic legitur tit. V, cap. II concilii Romani sub Benedicto XIII, anno 1725, celebrati : « quo vero ad regulares, privilegia a summis Pontificibus

habentes, sive expresse, sive per viam communicationis concessa, sacros videlicet ordines extra tempora suscipiendi; cum privilegia ipsa in suo robore persistent, nec iis derogatum fuisse constet, decernimus proinde regulares eosdem, absque novo indulto apostolico, tuto posse extra tempora ordinari. »

ADNOTATIO XLV.

Lib. I. Tit. XI, § II, n. 55; pag. 445.

DE MINORIBUS ORDINIBUS CONFERENDIS FERIA SEXTA QUATUOR TEMPORUM.

« Si quæras an, supposita consuetudine immemorabili, episcopo licitum sit conferre primam tonsuram et minores ordines feria sexta post prandium, ante diem sabbati quatuor temporum, ubi talis est consuetudo? Proposito huic dubio in *Portalegren.* ut in *Thesaur. resolut. Congr. conc.*, tom. I, p. 297, ita respondit S. C. die 13 april. 1720 : « Affirmative quoad primam tonsuram; et quoad cæteros minores ordines consuetudinem immemorabilem tolerari posse, sed expedire ut episcopus se conformet pontificali romano, titulo de minoribus ordinibus. » (*Giraldi, Exposit. juris pontificii, part. I, sect. 79.*)

ADNOTATIO XLVI.

Lib. I. Tit. XI, § VI, n. 167; pag. 467.

DE COLLATIONE MINORUM ORDINUM ET SUBDIACONATUS EODEM DIE.

« Cum vero hujusmodi prohibitio se dumtaxat extendat ad collationem duorum ordinum sacrorum, ex contrario sensu, non videtur interdicta collatio uno eodemque die minorum et subdiaconatus. Verum quamvis licita dici possit, ubi viget consuetudo, quam introduci posse, nec a Tridentino, nec a Congregatione concilii unquam reprobata fuisse, sicubi vigeat, testatur Fagnanus in cap. III de *Deo*, hoc eod. tit. n. 41 et seq., nihilominus dicta Congregatio semper improbavit hujusmodi simultaneam collationem ut in *Baren. ordinationis*, 29 januar. et 7 martii 1707. Licet enim in ea causa prætenderetur sic ordinatos (qui in susceptis propter reverentiam non ministraverant) non esse suspensos, quia furtive non se immiscuerunt ordinationi, nec episcopum, cum poena hæc locum sibi vindicet in collatione duorum sacrorum ordinum; dicta tamen Congregatio ad dubium : « An et quomodo esset danda absolutio in casu? Respondit : Quoad ordinatos dandam esse absolutionem, prævia salutari poenitentia arbitrio episcopi vicinioris; » et quoad ordinantem respondit : Ad mentem. » Quæ explicata fuit per epistolam ad ordinantem scriptam in quo, postquam Sacra Congregatio eum acriter arguit asserendo eum plus deliquisse quam ordinatos, cum ordines scienter contulisset, omnem

pœnam pro ea vice benigne remisit, dummodo in poenitentia similibus abstineret, prout videre est in regestris ejusdem Congreg. conc. lib. LXII, fol. 23 a tergo, et fol. 156.

» Et novissime cum, sub die 21 februar. 1728, archiepiscopus Calaritanus supplicasset eidem Congregationi pro facultate conferendi primam tonsuram, minores ordines, et subdiaconatum iisdem personis una die, hoc est quatuor temporibus, in sabbato *Sitientes* et sabbato sancto, ut ita ordinatis aditus præcluderetur ad reassumendum habitum laicalem, et se convertendum ad exercendas artes, clericali caractere indignas, propositoque dubio : « An sit indulgendum petitioni in casu? Respondit : Negative; » tom. IV *Resolut. dict. Congregationis*, pag. 137.

» Cæterum magna est controversia inter canonistas an revera tam sic ordinatus quam ordinans suspensionem ipso facto incurrat, cum nullibi reperitur prohibita hæc simultanea collatio eodem die; et quamvis in decretali Cælestini III, relata in cap. II cum *H. lator, de Eo qui ordinem furtive suscepit*, mandet Pontifex ut clericus, qui minores ordines una cum subdiaconatu recepit, in minoribus tantum ministret, indulgeas ut ministrare possit in subdiaconatu, si domum religiosam ingrediatur, inferunt tamen hanc ei poenam irrogatam fuisse quia subdiaconatum receptus ausu temerario atque furtive contra mandatum episcopi : secus vero sentiendum esse, quando reciperetur, sciente, volente et consentiente episcopo potissimum propter concurrentem necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ. Quorum quidem opinionem non improbandam crederem, ea præsertim ratione quia, licet hujusmodi poena reperitur inflictâ in ordinatos et ordinantem pro collatione duorum ordinum majorum eodem die, non tamen videtur extendenda ad simultaneam collationem minorum et subdiaconatus, cum, ex vulgatis, de casu ad casum in poenalibus, etiam ex identitate rationis, fieri non debeat illatio. » (*Giraldi, Exposit. jur. pontif. part. I, sect. 87.*)

ADNOTATIO XLVII.

Lib. I. Tit. XI, § VII, n. 172; pag. 468.

DE CLERICIS MALE PROMOTIS ET EPISCOPIBUS IN ORDINUM COLLATIONE PECCANTIBUS.

Juvat hic referre quæ a Clemente VIII constit. *Romanum Pontificem*, 28 februar. 1595, sancita sunt :

« Nos animadvertentes, inquit Pontifex, in dictis litteris (Sixti V scilicet) nihil fere, quoad ea quæ in ordinum collatione servanda sunt, disponi quod in sacris canonibus et in concilii Tridentini decretis, ac aliorum Romanorum Pontificum predecessorum nostrorum constitutionibus, dispositum fuit, sed diversas poenas et censuras ecclesiasticas contra episcopos et alios prælatos in ordinum col-

atione peccantes, et similiter contra clericos tam saeculares quam cujusvis ordinis, instituti et militie regulares, male promotos constitui, absolutionemque et dispensationem Sedi apostolicae reservari, et alias, sicut in praefatis litteris continetur; considerantesque tunc promoventes quam eos, qui ad dictos ordines promoventur, saepe censuris et poenis hujusmodi ob illarum multiplici- tatem, in eorum perniciem animarum variis modis ilaqueari, nonnullos ex praelatis et episcopis in conferendis hujusmodi ordinibus nimis scrupulose procedere, multosque metu poenarum et censurarum praefatarum ab ordinum collatione praesus deterreri, adeo ut clericorum et sacerdotum nu- merus propterea aliquibus in locis valde immi- nutus sit, omnium in primis securitati ac ani- marum saluti paterna charitate prospicere volentes, praedictas litteras ad terminos SS. canonum ac constitut. rec. mem. Pii Papae II etiam praede- cessoris nostri quae incipit *Cum ex sacrorum ordinum* sub dato videlicet 16 kal. decembris, pontificatus sui anno quarto, cujus tenorem praesentibus pro- expresso haberi volumus, et ad dispositionem de- cretorum sacri Trid. concilii restringimus et redu- cimus, necnon censuras et poenas in eisdem Sixti litteris contentas, praeterquam contra simoniae ordinales et ordinatos inflictas, quas volumus in suo robore permanere, aliis etiam poenis et cen- suris per eosdem canones ac constitutionem Pii II, conciliumque Tridentinum injunctis, salvis et firmis remanentibus, moderamur et abolemus. »

ADNOTATIO XLVIII.

Lib. I. Tit. XI § VII, n. 173; pag. 468.

ITEM DE CLERICIS MALE PROMOTIS ET EPISCOPIS IN ORDINUM COLLATIONE PECCANTIBUS.

Sic loquitur Urbanus VIII, constt. *Secretis*, 41 dec. 1624: « Cum autem non sine gravi animi nos- tri molestia nobis innotuerit quamplures ultra- montanos suae salutis immemores, Deique timere postposito, ad ordines praedictos sine dimissoria- libus litteris, seu etiam cum titulo patrimonii ficto vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo hono- rum omnium scandalo, se promoveri fecisse, nos innumeris quae ex minus canonica clericorum ordi- natione hujusmodi proveniunt malis, quantum nobis ex alto conceditur, providere volentes, praedictam Clementis praedecessoris constitutionem cum omnibus et singulis in ea contentis appro- bantes et innovantes, motu proprio... venerabili- bus fratribus patriarchis, archiepiscopis, et epis- copis in Italia existentibus tenore praesentium prohibemus ne, quovis praetextu et ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos vel Germanos, alios quoscumque ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solum ad sacros, sed neque etiam ad minores ordines vel clerica- lem characterem promovere audeant seu praesu-

mant, nisi dimissoriales suorum ordinum litteras, a nostris et hujus Sanctae Sedis nuntiis, seu collectoribus in illis partibus commorantibus, re- cognitae, probatae et subscriptae habeat, eorum- demque nuntiorum seu collectorum subscriptiones a dilecto filio nostro in alma Urbe vicario in spi- ritualibus generali similiter examinatae, recogni- tae et approbatae fuerint; alias promoventes ad annum ab exercitio pontificalium, promoti vero perpetuae suspensionis poenam, absque spe dispen- sationis a Sede apostolica obtinenda; incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos qui, cum falsis vel fictis aut fiduciariis patri- monii titulis, scienter se ad ordines hujusmodi pro- moveri fecerint, non solum praedictis, verum etiam majoribus, arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis poenis... plecti de- cernimus.

» Italos vero, si quos in posterum clericali cha- ractere insigniri, vel ad minores ordines promo- veri ab alieno episcopo cum falsis dimissoriis con- tingerit, etiamsi qualitatibus per concilii Trident. decretum cap. XVI, sess. 23, requisitis praediti sint, nihilominus, secuta tamen prius desuper ju- diciis ecclesiastica declaratione, fore privilegio mi- nime gaudere, sed saeculari jurisdictioni, ut antea, plene in omnibus subjacere et subjectos esse res- pective volumus...

» Per praesentes autem constitutioni rec. mem. Pii Papae II praedecessoris nostri contra male pro- motos editae nullatenus derogare intendimus, sed illam cum omnibus et singulis in ea contentis in suo robore et efficacia permanere, perinde ac si praesentes non emanassent, decernimus. »

Ad hanc Urbanam constitutionem addit Giral- dus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 92: « Nota 1^o quod, quamvis in allata decretali sublata sit majori poenitentiaro facultas absolvendi ab ibi in- flicta suspensione, hodie tamen ex const. Bene- dicti XIV *Pastor bonus*, 13 april. 1744, potest ab ea absolvere absque speciali licentia Papae, ut § VI. » Nota 2^o, juxta probabilior sententiam, in Urbani constitutione non comprehendi insulas Ita- liae adjacentes, Siciliam videlicet, Sardiniam, Me- litam et Corsicam, cum in ea non sint expressae; et, cum agatur de materia odiosa, nullatenus sit ad easdem extendenda, ut probat Romualdus Ho- noranti in *Praxi secretariae Urbis vicarii*, cap. X, not. 3. »

ADNOTATIO XLIX.

Lib. I. Tit. XI n. 190 var. 471.

DE CLERICIS ORDINANDIS A VICINIS EPISCOPIS, ATTENTA SUSPENSIONE PROPRII EPISCOPI ET QUIDEM MANI- FESTA.

« An autem hodie, postquam episcopi suspensio manifesta est, illius subditi, tam arctati quam non, promoveri interim possent ad ordines a vicini-

bus episcopis sine ejusdem licentia, juxta indultum hujus decretalis (*Eos qui*, hoc titulo in 6.), contrarium asserere non audeam, cum nullibi hucusque hujus juris communis sanctioni derogationem invenerim, nec ab ullo ex auctoribus qui, tam ante quam post constitutionem Innocentii XII *Speculatores*, scripserunt, id unquam in dubium revocatum fuisse legerim, imo potius hanc eam- dem sanctionem, tanquam adhuc vigentem, eos quasi admittere animadvertimus.

» Opinor tamen quod, cum non satis esset notorietas facti, vi cujus viciniore episcopi praefato indulto uti possent, sed necessario requireretur notorietas juris, declaratio scilicet per sententiam incursionis in suspensionem, haecque juxta hodiernam Ecclesiae disciplinam contra episcopum ferri nequeat nisi a Sede apostolica, hanc eodem tem- pore fore provisuram crediderem per specialem de- putationem vel metropolitani vel alicujus episcopi ex vicinioribus, a quo subditi suspensi episcopi ordinari possent, ut tam ab ipsa S. Sede quam a Congregatione concilii in similibus facti contingentiis fieri solet.

» Si vero Sedes apostolica aliter quam a dicta decretali non provideret, dicendum esset eidem derogare noluisse.

» Queri hic etiam posset an, sicut ordinati sine licentia proprii episcopi remanent suspensi ab executione ordinum sic susceptorum dumtaxat, juxta Trident. et const. *Speculatores*, ita etiam ordinans remaneat suspensus a collatione ordinis male collati tantum, aut ab omnibus.

» Cardinalis Petra in *Comment.* ad const. VII Pii II, sect. unica, n. 34, ita sentit cum Fagnano, ibi: « Episcopus ordinans sine litteris dimissoriis » proprii ordinarii est suspensus per annum a col- latione ordinum, non per Pianam constitutionem, » sed per concil. cit. cap. VIII, sess. XXIII, con- firmatum in bulla *Speculatores* Innocentii XII, » estque suspensus ab ordine sic male collato et a » majori, v. g. si contulerit diaconatum, erit sus- » pensus a collatione istius et presbyteratus; secus » autem collatione minoris. Fagnan. in cap. *Vel* » non est compos, n. 16, de *Temporibus ordinat.* » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 93.)

ADNOTATIO L.

Lib. I. Tit. XIV. De aetate, et qualitate et ordine praeficiendorum, n. 28; pag. 485

DE PRIVATIONE BENEFICII OB NON RECEPTUM ORDINEM DEBITUM.

« Hanc decretalem, *Ut abbates*, in qua arctantur abbas, decanus, et praepositus ordinem presbyte- ratus suscipere, expendit Fagnanus et ex cap. XII conc. Trid., sess. XXIV, de *Reform.* § *Ad caeteras*, probat n. 5, eam hodie non procedere, tam quoad abbatem titularem dumtaxat, non conventualem, quam quoad decanum, praepositum et archipres-

byterum, quibus nulla subest animarum cura, » quoniam ex decreto dicti concilii ad quascum- » que dignitates non curatas satis est ut adscis- » cantur clerici viginti duobus annis non minores, » id est, qui vigesimum secundum aetatis annum » expleverint, ut declaravit S. C. ejusdem concilii » interpres. Et cum decretum illud loquatur per » verba universalis, et excipiat illas tantum digni- » tates quibus cura imminet animarum, utique » vindicat sibi locum etiam in quatuor dignitatibus » de quibus disponit haec decretalis; alioquin de- » cretum illud fere elusorium esset. Nam dignita- » tes hic expressae sunt frequentiores in ecclesiis » ac, si illas excipias, paucae sunt aliae a SS. cano- » nibus cognitae. Quamobrem cum, ex dicto cap. XII, » ad ejusmodi dignitates obtinendas sufficiat an- » nus vigesimus secundus, hinc necessario sequi- » tur ut non habeant ordinem presbyteratus an- » nexum, cum infra annum sic provisum nequeant » in presbyteros ordinari, » et ita etiam declara- tum fuisse refert a Congregatione concilii.

» Verum hodie archidiaconus, qui juxta hanc decretalem debet esse in diaconatus ordine cons- titutus, debet et ipse constitutus esse in ordine presbyteratus, siquidem cum sit prima dignitas post pontificalem, et una ex reservatis Sedi apos- tolicae, de stylo curiae conferri consuevit cum clau- sula « ut provisus teneatur infra annum in pres- » byterum ordinari, alioquin archidiaconatus eo » ipso vacare censeatur. »

» Statuitur etiam in hac decretali quod impe- ditum ex justa causa ordines suscipere suo beneficio annexos (intellige ob impedimentum ex propria culpa contractum) non sint ipso jure beneficio privati, sed privandi per sententiam judicis, ut denotat illud verbum *amittant*.

» Sed in hoc correctae est, ex decreto Martini V in concilio Constantiensi declarante esse ipso jure privatos, ut ex sessione XLIII dicti concilii habita sub die 21 martii 1417, titulo de *Dispensationibus*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 97.)

ADNOTATIO LI.

Lib. I. Tit. XIV, n. 31; pag. 486.

AN DETUR DISTINCTIO INTER ECCLESIAM CURATAM ET ECCLESIAM PAROCHIALEM?

Auctor noster hic loquitur de eo qui habet Ecclesiam curatam non parochialem, et docet pro- motum ad Ecclesiam curatam non parochialem non teneri, quemadmodum tenetur promotus ad Ecclesiam curatam parochialem, ad recipiendum ordinem praescriptum; unde juxta ipsam datur distinctio inter Ecclesiam curatam et Ecclesiam pa- rochiam. Porro ut illa distinctio clarius innotescat, ea quae sequuntur juvat praeculis studentium subicere.

Rebuffus, disserens de forma mandati apostolici, dicit: « An sufficiat exprimere beneficium cura-